

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Votvm

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

ita de voluntate superioris præsumamus. P. Coriol. de Cas. referu. p. 1. sec. 1. a. 11. Quin verò etiam absolutionem illam prodesse pro censuris & Irregularitatibus certis & manifestis, occultis tamen ac in foro conscientiæ, putat rationabiliter, Lezan. to. 1. c. 18. n. 93. asserens valere ad omnia, ad quæ se possunt extendere auctoritas ordinaria & Præuilegia Prælatorum: Verba enim illa, quibus in similibus casibus vtuntur Prælati, scil. *Absoluo vos, vel Dispensò Vobiscũ, &c.* piè sanè videntur favorabiliter amplianda. Quare valebit etiam talis Dispensatio ad rehabilitandum in casibus, V. Electio, n. 169. & V. Pæna, n. 372. de qua proinde N. P. Sigism. de Elect. dub. 95. n. 3. sermonem faciens: Memmerint, inquit, fratres, se in Visitacionibus suorum Prælatorum Maiorum dispensatos esse ab omni inhabilitate occulta in foro conscientiæ, iuxta tenorem Præuilegiorum, quando absoluuntur & dispensantur ab omnibus Irregularitatibus, inhabilitatibus, pænis, &c. sicuti & de censuris restantur Sylu. &c.

## V O T V M.

464. *Voti Definitio & requisita.* 465. *Voluendi aduerrentia.* 466. *Voluntas.*

467.

467. Vouentium obligatio in dubio juris.  
468. Facti. 469. Circumstan-  
tiarum.
470. Vouendi finis. 471. Materia. 472.  
Grauitas.
473. Relaxandi Vota modus. 474. Per  
Interpretationem. 475. Cessatio-  
nem. 476. Irritationem. 477.  
Dispensationem. 478. Commuta-  
tionem.
479. Prælatorum circa Vota Potestas, quoad  
Professos. 480. Nouitios.
481. Potestas Confessorum Regularium circa  
Vota Secularium. 482. Quantum  
ad Vota reservata S. Pontifici. 483.  
Episcopis. 484. Iurata. 485. In  
casu necessitatis.

**C**um frequens aded sit Voti materia,  
priusquam de illius relaxatione verba  
faciam, pauca de eiusdem naturâ, obliga-  
tione & relaxandi modis, prælibabo, vt  
sciat prudens Confessarius, quando dispen-  
satione, &c. opus sit.

CCCC. 464. Est igitur Votum voluntaria &  
LXIV. deliberata Promissio facta Deo de aliquo bono  
Voti De- meliori. Ex hac voti definitione communi-  
finitio & ter recepta colligitur i. ad votum non suffi-  
requisita. cere propositum, quo quis proponit aliquid  
facere nullâ factâ obligatione ad id facien-  
dum,

dum, sed requiri actum promittentis cum voluntate se obligandi. Sufficit tamen in voto, siue promissio sit interior & mentalis, siue etiam exterius facta scripto vel verbo. Item siue sit explicita siue implicita, qualis requiritur in suscipiente Ordines SS. quibus ex Ecclesiæ intentione & instituto annexum est solenne Castitatis votum, P. Bassæ. *to. 1. V. Votum. 1.* Signa porro quod fuerit solum propositum indicat Portel. *V. Voti natura. n. 5.* Primò, si paulò antequàm deliberauerit, vel paulò post, dubitat an se voluerit obligare. Secundò, si verba ore vel mente prolata indicant solum propositum & non promissionem, vt si dixit: *factiam.*

465. 2. Requiritur plena animi aduertentia & deliberatio cum libertate, quæ sufficiant ad peccatum mortale. Quod itidem cognoscetur secundùm aliquos, si cessante perturbatione vouentem pœnitet, quòd voluerit. Sed hoc signum non putat Soar. esse certum omninò, *to. 2. Relig. l. 1. c. 10. n. 11.* dicit tamen esse aliquã coniecturam. Et *ibid. n. 13.* dicit id pendere à prudentis arbitrio, ponitque pro signo certiori, si videlicet in vouendo non fuit breuitas temporis & concurrat aliqua collatio seu discursus de re promissa cum actu opposito sine vllò signo per-

CCCC.  
LXV.  
Vouendi  
aduertentia.

perturbati discursus: Tunc enim datur signum plenæ deliberationis, secus si oppositum accidat. Aliam Regulam statuit Portel. cit. in addit. n. 2. si factum est votum ex metu incusso à morbo, tempestate, iracundia vel simili affectione, præsumendum est pro voto & credendum semper est fuisse sufficientem deliberationem, quia illa prædicta non tollunt sufficientem deliberationem. Votum factum ex metu gravi iniuste incusso à causa extrinseca seu libera ad illud extorquendum, inualidum est saltem iure Ecclesiastico, iuxta probabiliorum sententiam, modò vouens cognouerit illum metum sibi incuti ad extorquendum votum. Votum factum ex metu graui incusso ab extrinseco non ad extorquendum votum, sed ad alium finem, validum est, quia sufficienter est voluntarium, cum à nemine compellatur.

CCCC-  
LXVI. *Voluntas.* 466. 3. Defectu *Voluntatis* non oritur obligatio, quando quis non habet intentionem se obligandi, vt cum quis ad SS. Ordines accedit sciens illis annexum esse votum Castitatis, sed non vult se ad Castitatem obligare; tenetur tamen talis ad Castitatem ex Statuto Ecclesiæ, quo præcipit obseruantiam Castitatis illi, qui noluit vivere, illumque inhabilem facit ad Matrimonium

monium, si tamen factio voto aliquis dubitet, an quando vouit, sciret obligationem ex voto consurgere, vel an habereet animum se obligandi, tenetur ad votum; tum quia possessio stat pro voto, tum quia factio probato, præsumitur, interuenisse omnia ad factum requisita. Ob hanc causam in dubio, an votum factum sit ex sufficienti deliberatione, iudicandum est ex sufficienti factum, & consequenter obligare. Ex voto etiam factio cum animo vouendi & se obligandi, oritur obligatio, licet quis animum non habuerit adimplendi. Ex eodem capite votum irritum reddit error, si sit circa substantiam voti aut aliquo modo in substantiam redundet, sitque causa vouendi, quod fit 1. si error sit circa partem notabile rei promissæ. 2. cum erratur circa materiam operis. 3. cum erratur circa personam, vel 4. circa vim voti. 5. vel circa causam formalem aut finalem, quæ ita mouet vouentem, vt eâ non existente opus non fieret. Hinc qui vouit non transire per aliquam domum, eò quod habitat ibi mulier fornicaria, cum qua peccare consuevit, potest per illam domum transire, postquam mulier recessit ab ea domo.

CCCC-  
LXVII.  
Voti Obligatio in  
dubio ju-  
rii.

467. Dubius de voto ante diligentiam adhibitam, tenetur ad illud seruandum, alias sic operans exponeret se periculo errandi, ideoque temerè ageret: post moralem verò adhibitam diligentiam non tenetur illud seruare, quia hoc est dubium juris, id est, voti, quod est lex quaedam priuata. In dubio autem juris melior est conditio possidentis suam libertatem: Dein factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet. Et speciatim in hoc casu, vinculum siue obligatio voti, iuramenti, promissionis adstruenda non est, nisi liquidò cognoscatur. *Lezan. V. Votum. n. 31. arg. l. quidquid. ff. de Verb. oblig.* Addit etiam licet aliquis magis inclinaret in eam partem, quod vouerit, dum tamen incertus manet, non obligari voto, sicut nec bonæ fidei possessor, rem, de qua dubitat, an sua sit, restituere cogitur, priusquam morali certitudine cognoscat alienam esse.

CCCC-  
LXVIII.  
Falsi.

468. Qui certus est se vouisse, dubius autem est qualitatis seu modi vouendi, seu voluntatis se obligandi, secundum probabiliorem aliquorum sententiam, tenetur eligere quod tutius est; quia voti interpretatio debet fieri in maximè pleno sensu & maximè obligatorio. Probabilius tamen est & verius, fauendum esse libertati, & in hoc

hoc dubio vouentem teneri solum ad id, quod minus est; quia ubi tractatur de inducenda obligatione, facienda est interpretatio stricta. Hinc qui vouit Religionem dubitans, an Religionem in communi? an specialem aliquam; vel qui vouit se ad nullam foeminam accessurum, dubitans an intellexerit de copula licita, an illicita. Item dubitans, an vouerit Castitatem, vel se non ducturum vxorem: vel vouit Castitatem & Religionem, dubitat tamen an Castitatem vouerit dependenter an independentem à Religione; Quidam censent teneri hunc eligere quod tutius est, vt vouisse Religionem in communi, vel Castitatem. Sed verius est esse fauendum libertati, vt in omnibus dictis teneatur ad id quod minus est, vt etiam dubitans an vouerit mille, an tantum 50. tenetur tantum ad 50.

Certus de voti valore, dubitans tamen an votum obliget ratione debitæ materiæ aut finis, aut alicuius circumstantiæ tunc occurrentis, tenetur voto, quia voluntas non possidet, cum certum sit se suâ libertate priuasse vouendo, sed votum possidet.

469. Qui vouit Religionem, dubitat tamen an vouerit se professurum, potest non profiteri. Et qui dubitat an expleuerit septennium, quando votum emisit, ad illud

CCCC  
LXIX.  
Circum-  
stantia-  
rum.

Y y 2

non



non tenetur. Item qui factâ diligentia sufficienti dubius est an expleuerit annos pubertatis, licet sit certus quodd votum emisserit, poterit Pater votum irritare, quia habet possessionem ne filius impubes independenter à sua voluntate votum emittat. Si verò dubium sit, an vovens, quando votuit, habuerit plenum vsum rationis ob teneram ætatem, tunc si constet habuisse septennium completum, præsumendum est pro voto, & dicendum quodd valeat; quia in tali ætate præsumit jus sufficientem deliberationem; Si verò constet non fuisse expletum septennium non obligat votum, quia non præsumitur ibi sufficiens vsus rationis.

CCCC-  
LXX.  
*Vouendi  
finis.*

470. 4. Cùm votum sit actus Religionis, quæ respicit Deum, idèd illi soli fieri potest vel immediatè & expressè, & quando quis dicit: *Voueo & promitto Deo, me id facturum*; vel mediatè & tacitè, vt quando dicit: *Voueo & promitto B. V. Maria vel alicui Sancto, &c.* Idem dicendum de voto facto Episcopò vel alteri Prælato, semper enim habent respectum ad Deum.

CCCC-  
LXXI.  
*Materia.*

471. 5. Debet denique votum esse de meliori bono, non quia materia voti semper debeat esse optima, sed quod eius contrarium non sit melius & Deo gratius. Vnde

vt

vt legitima sit materia voti P. Gesuald. p. 3.

rr. 24. c. 2. quinque conditiones requirit.

1. Ne sint res absolutè necessaria, & quæ ab hominibus impediri nequeunt quo minus fiant, vt mori vel non mori, nutrirî, &c.  
 2. Ne sint impossibiles, sed in potestate uolentis. 3. Ne sint malæ & perniciosæ, neque mortaliter neque uen aliter, siue secundum se, siue ob finem vel causam turpem & illicitam 4. Ne sint indifferentes absque ullo fine bono & conueniente: alioqui si accedat aliqua circumstantia reddens actû bonum, validum erit votum etiam circumstantiam indifferentem. Denique ne res sint impeditiua & opposita meliori bono, ne uidelicet diuinis consilijs exequendis aliquo modo impedimentum esse possint, v. g. si quis votum fecisset propter Dei amorem seruire hospitalibus vel facere aliquam peregrinationem ad loca sancta, vel docere ignorantes ea quæ illis necessaria sunt ad salutem, &c votum quidem esset validum & acceptum Deo, poterit tamen deinde talis licet ingredi Religionem & in ea profiteri commutando votum factum in melius & ita iste talis liber erit ab illis votis minoris perfectionis.

472. Ista conditiones si concurrant, violare votum ex genere suo mortale peccatum

CCCC.

LXXII.

GRANIS.

catum

Y y 3

catum est, cū sit contra Reuerentiam Deo debitam, cui *difficet infidelis & stulta promissio*. Eccl. c. 5. Dico *ex genere suo*: quia ex inaduertentia & obliuione, vel ratione paruitatis materiae transgressio potest esse sine culpa mortali, siue materia illa parua sit tota voti materia, siue tantum modò pars voti; etiamsi ipse vouens intendat se obligare ad mortale peccatum, etiam in re & materia leui, eo quodd talis voluntas stulta esset & irrationabilis: Si tamen referatur materia leuis ad finem grauem, tunc posset obligare etiam grauiter ex intentione vouentis, quia hoc ipso euadit materia grauis. Cognoscitur autem materiam voti esse grauem vel leuem, sufficientem ad mortale vel veniale, potissimum ex comparatione ad leges, aliaque præcepta, siue Diuina, siue humana. Item ex magno vel exiguo honore, qui redundat in Deum, ex adimplerione talis voti. Quando materia voti habet duplicem partem, vnā possibilem, alteram impossibilem, &c. tunc votum emissum valet & obligat quoad partem possibilem, &c. nisi aliter constet de intentione vouentis.

CCCC-  
LXXIII. 473. Et hoc quantum ad voti naturam  
& obligationem, quantum verò ad voti relaxationem sciendum est quinque modos  
Modi relaxandi  
Vota. à DD.

à DD, assignari, quibus obligatio voti tollitur, primus est *Epicheia* seu *Interpretatio*.  
2. *Cessatio*. 3. *Irrizatio*. 4. *Dispensatio*. 5. *Commutatio*.

474. *Interpretatio* est quædam declaratio eius quod cuiunque intelligenti potest esse evidens, votum in tali casu non obligare; vt si quis v. g. vouit carnes non edere & in eum statum deuenit, vbi nisi eas comedat, fame peribit, tunc non obstante voto licebit carnes comedere, & alter, vt Confessarius, sic declarare poterit, cum naturalis ratio in eo casu dicet votum non obligare.

475. *Cessatione* tollitur obligatio voti, cum cessat ipsa causa finalis propter quam factum fuit votum, quia votum non obligat vltra mentem & intencionem vouentis, qui eam ob causam & non aliter vouit. Similiter etiam cessat obligatio voti, quoties superuenit notabilis mutatio & difficultas, quæ si præuisa fuisset, votum iudicio prudentis factum non fuisset, quia votum censetur factum sub hac tacita conditione, nisi superueniat notabilis mutatio. & præsertim ex parte materiz. Tollitur etiam vel suspenditur obligatio Voti, quoties tempore adimpletionis Voti, materia voti facta est

Yy 4

illicita

CCCC:

LXXIV.

Voti Interpretatio.

CCCC:

LXXV.

Cessatio.

CCCC-  
LXXVI.  
*Irritatio.*

illicita aut maioris boni impeditiva, aut indifferens aut impossibilis,  
476. *Irritare* votum nihil aliud est, quàm efficere vt votum non valeat, nec alià indiget causâ quàm voluntate illius qui ad irritandum potestatem habet, & illis competit, qui in alios Ius & auctoritatē exercēt, vt sunt Maritus erga vxorē, Pater erga filiū, Prælati erga subditū &c. Vota Impuberū irritari possunt à Patre, vel quisquis tutore illorum agit, etiam post impubertatem, modò puber post acquisitam pubertatem nō ratificauerit vota tempore impubertatis facta, & in dubio an ratificatio facta fuerit post impubertatem, vel an filius ratificauerit votum, præsumendum est non fuisse factam post impubertatem & consequenter Patrem posse huiusmodi vota irritare, quia confirmatio est quid facti, & factum non præsumitur, nisi probetur. Sed de hoc iam supra fatis. Vota puberum etiam irritari possunt, quæ ad gubernationem domesticam pertinent quatenus disciplinæ familiæ & Patriæ potestati obsunt, vt sunt ieiunandi, peregrinandi, &c. secus autem est de votis Religionis, Confessionis, &c.

CCCC-  
LXXVII.  
*Dispensatio.*

477. *Dispensatio* Voti est, quando ab eo, qui potestatem habet, iusta de causa omnino tollitur obligatio. Hinc ad dispensandum

dam duo requiruntur, *Auctoritas & Causa*; aded vt sine causa ne Papa quidè validè dispenset. Causa verò iustæ dispensandi generatim sunt, vtilitas Ecclesiæ, & honor Dei. Item vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiusdem, per quã timetur sæpè violaturus. Faciliorem impetrationem reddunt leuitas vouentis (etiã si non sit periculum violandi) inconsideratio, inconstantia, timor, alia perturbatio animi in vouendo. Deniq; quæcunque alia causa iudicata sufficiens arbitrio viri prudentis & timorati, &c.

478. *Commutatio Voti* est, quando obligatio vnus rei in aliud bonum transfertur. Si fiat in minus bonum, semper quoque requiruntur *Auctoritas & causa*, minor tamen quàm in dispensatione. In æquale verò vel maius bonum, potest votum suum commutare ipse vouens & sine causa, iterumque si velit ad prius redire. Neque oportet multum agitari scrupulis an opus in quod votum commutatur, sit omnino æquale, hæc enim æqualitas non debet esse Mathematica, & moraliter loquendo est impossibilis; sufficit ergo æqualitas ad arbitrium boni viri seclusâ fraude & graui ignorantia, maximè si fiat virtute priuilegiorum. Consultissimè tamen agent Confessarij

CCCC.  
LXXVIII.  
Commu-  
tatio.

Yys

circa

circa relaxationem, si non facilè vtantur vel solâ dispensatione, vel solâ commutatione, sed vtrâque simul; quia cùm contingat aliquando minus iustam esse dispensationis causam, eius defectus commutatione suppletur, vel cùm res in quam fit commutatio, quandoque non æquipollet rei promissæ; huic defectui per dispensationem ex aliqua causa subuenitur.

CCCC- 479. His in communi de voti relaxa-  
LXXIX. tione dictis, particulariter iam loquendo,  
*Prælatorū Regularium Prælati non tam ex Priuilegiis*  
*circa Vo- (quæ si Regularibus conceduntur in hoc*  
*ta Potestate quoad Professos.* genere, tantum valent ad maiorem declara-  
tionem & securitatem, vel si de nouo aliquid concedunt, id est, vt faciliori modo detur dispensatio) quàm ex Episcopali quâ pollent ad instar, facultate & potestate dominatinâ, quam habent in subditos Regulares, irritare possunt vota omnia eorum & iuramenta, exceptis tribus Religioni essentialibus, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ. Addit Soar. *10. 4. Relig. tr. 8. l. 2. c. 12. n. 28.* Vota aliquorum Ordinum specialia, vt est PP. Carthusianorum de non edenda carne, cùm vota ista habeantur essentialia Ordini. Possunt item ea commutare & dispensare etiam transeundi ad arctiorem Religionem (*Lezan. 10. 1. c. 18. n. 50.* licet aliqui

aliqui contradicant) quia votum arctioris Religionis non est simpliciter votum Religionis, sed Religionis arctioris; vnde taliter dispensans non dispensat in substantia voti, id est, non absoluit eum à Religione, sed dispensat solum in quadam Religionis qualitate seu circumstantia voti. Quandoquidem Episcopi etiam ex commun<sup>o</sup> DD. eiusmodi facultate gaudent. In votis autem reseruaris Papæ, qualia sunt Religionis, Castitatis & Peregrinationis, &c. non possunt dispensare, quia nec in his possunt Episcopi. Bonacin. q. 2. de voto. p. 7. §. 4. n. 11. A quo possint dispensari ipsi Superiores, vide V. Dispensare. n. 146.

480. Quod ad Nouitios attinet, licet eorum vota directè nequeant irritari à Prælato, eo quòd in illis deficiat licentia ex voto obedientiæ, in quo fundatur hæc directà irritatio, indirectè tamen irritare posse illa vota, quæ gubernationi & Regimini Ordinis conuenienti obuiant, probabile est; quia quoad hoc Prælatus habet Iurisdictionem super illos. Lezan. 10. 1. c. 18.

n. 47.

An autem Prælati Regularium possint commutare aut dispensare in votis Nouitiorum, dissensio est inter DD. Quidam enim negant, quia non gaudent privilegiis Religionis,

CCCC:  
LXXX.  
Nouitios.



Religionis, cum nondum sint perfecte subditi. Ita probabiliter Soar. *to. 1. de Relig. l. 6. c. 11. n. 9. & alij*. Alij probabilius asserunt & merito, licet enim Prælati non habeat potestatem dominatiuam in Nouitios, tamen habet potestatem Iurisdictionis, cum ad Prælaturam pertineat cognoscere de Nouitij delicto & non ad Episcopum. Episcopus autem potest etiam dispensare in votis Nouitiorum, quia nondum plenè exempti sunt à Iurisdictione Episcoporum,

Abbatissæ verò & similes Præpositæ Monialium, etsi possint vota suarum Monialium irritare, non tamen possunt propriè dispensare in votis Nouitiarum vel professarum suarum, quia carent Iurisdictione spirituali. P. Elig. *V. Votum. n. 25.*

ecce-  
LXXXI.  
Potestas  
Confessio-  
rum circa  
Vot. a.

481. Loquendo de Confessariis Regularibus in Ordine ad vota suorum pœnitentium certum est eos non posse propriè loquendo irritare illa; quia nullum habetur priuilegium, quo hæc ipsis concedatur, & ex alia parte irritatio spectat ad potestatem dominatiuam, quam non habent Confessarij super suos pœnitentes. Dixi, *propriè loquendo*; quia rationabili subsistente causa, quando scilicet ita conueniens salutari pœnitentium fuerit, poterunt illa ad tempus suspendere, quod vocari solet irritatio impropria.

impropiè. Possunt verò prædicti Regula-  
res ad Confessiones expositi ex priuilegijs,  
quæ refert Sanch. l. 4. Mor. c. 48. Ioan. de  
la Cruz. l. 2. de priuil. Regul. c. 6. dub. 8.  
Chassain. de priuil. Regul. tr. 5. c. 5. prop. 2.  
P. Bassæ. V. Votum. 7. n. 10. & alij passim ex  
Compend. Priuil. V. Dispensare. & V. Votum.  
dispensare. multoquæ magis commutare in  
alia opera pia, omnia vota etiam iurata sæ-  
cularium sicut possunt Episcopi, hoc est,  
quæcunque, exceptis quinque: 1. Religio-  
nis. 2. Castitatis perpetuæ. 3. Peregrinatio-  
nis in terram sanctam. 4. Ad limina Apo-  
stolorum Romæ. 5. Ad S. Iacobum Com-  
postellæ.

482. Quin etiam in his dispensare pos-  
sunt: 1. Quoties de voti valore morale du-  
bium est, siue sit dubium juris, siue facti;  
siue sit negatiuum, propter coniecturas, quæ  
non sufficiunt ad determinandum iudici-  
um, siue sit positiuum ex opinionibus pro-  
babilibus contrarijs. Lezan. V. Votum. n. 12.  
addens ex Lugo & Sanch. etiam compertâ  
postea voti certitudine non esse necessari-  
um recurrere ad Papam pro dispensatione,  
quia iam est obtrita legitima dispensatio.  
2. Quoties votum emissum est ex metu eti-  
am leui per iniuriam incusso ad extorquen-  
dum illud. 3. Quando materia horum vo-  
torum

CCCC-  
LXXXII.  
Potestas  
Confessio-  
rum Re-  
gularium  
circa vota  
Seculariis  
reservata  
S. Pontifi-  
fici.

torum deficit à natura materie reservatæ, uti contingit 1. Quando tota materia, quæ promissa est per votum, non est reservata, ut si quis facit votum disjunctivum v. g. Castitatis aut Jejunij. 2. Quando animus vouentis, dum vota illa emisit, solum fuit obligandi se sub veniali vel sub nulla obligatione. 3. Quando illa non sunt absoluta sed conditionata conditione de futuro (modò conditio non sit adimpleta) quale est votum sic dicentis: *Si ex morbo consualvero, voueo me Religiosum fore*; quia vota, quæ Papæ reservantur, sunt vota perfecta, cum reservatio sit odiosa, ac per consequens non extendenda ad votum imperfectum, quale est votum nondum adimpletâ conditione, cum ante illius eventum non obliget; secus est cum conditio impleta est, tum enim votum censetur absolutum & non minus obligat, quàm si fuisset sine illa, siue vouens ipse sciat siue non extare conditionem; licet quando conditio est de futuro reuerà suscipiat consensum, efficiatque ne votum absolutum sit. Debet etiam votum verè esse conditionale, id est, ut affectus non feratur directè in rem promissam sed in aliam quam putat consequi aut vitare sub conditione. Vnde hoc non est verè conditionale: *voueo Religionem, si Pater meus obierit, &c.*

in, &c. tunc enim animus vouentis simpliciter est affectus erga Religionem & solum executione differt in tempus cessantis impedimenti. 4. Quando talia vota non sunt poenalia, quale est hoc: *casu, quo ralem puellam in uxorem habere non potero, vel, si fornicatus fuero, voueo me in poenam Religionem ingressurum.* Etiam in casu quo sit commissa copula, ideoque contracta obligatio poenae. In his enim est imperfectus consensus & propositum potius cauendi obligationem, quam offerendi Deo rem gratam in eius cultum & obsequium. 5. Quando vota non sunt principalia, sed accessoria prout contingit in eo, qui emisit votum suscipiendi SS. Ordines, quibus annexum est votum Castitatis.

483. Specialiter etiam Episcopus dispensare potest 1. Circa votum Religionis non approbatæ. 2. Quando fuerit votum paupertatis seu obedientiae siue in saeculo, siue in Religione. 3. Circa votum Castitatis non perpetuae, sed temporalis vel coniugalis, vel non nubendi, aut non petendi debitum, & quando vterque coniunx siue cum licentia alterius, siue absque illa, eo voto se ligauit. Item in voto virginitalis vsque ad primum actum quo deperditur, &c. & generatim in qualitatibus vel condit

CCCC-  
LXXXIII.  
Episcopis.

conditionibus v. g. vt qui vouit Religio-  
nem tempore præfixo, differat ingressum  
post illud tempus. Item cum illo qui pro-  
misit se transiturum ad arctiorem, vt tran-  
seat ad laxiorem, &c. Quod & in alijs vo-  
tis relaxatis licet, vt si quis promisit se itu-  
rum pedibus, mendicando, &c. Ratio ho-  
rum omnium est, quia non sunt vota abso-  
luta & perfecta Religionis, &c.

CCCC.  
LXXXIV.  
Iurata.

484. Atque hæ facultates tam dispen-  
sandi, quàm commutandi extensæ sunt eti-  
am ad vota iurata eiusdem materiæ, dum  
tamen non fiant in præiudicium tertij, vt  
fit, quando votum Deo factum habet adi-  
unctam promissionem alicui tertio, & ab  
eo acceptatam, qui proindè jus habet ac-  
quisitum, vt sine consensu illius non sit am-  
plius locus commutationi. Si tamen fiat  
simpliciter ipsi Deo, etiamsi fiat in fauorem  
& utilitatem tertij, vt si quis vouisset dare  
calicem alicui Ecclesiæ vel aliquam elee-  
mosynam pauperi, adhuc dispensare licet,  
quia talia vota non tribuunt vllum jus illi  
Ecclesiæ vel pauperi. Ita ferè ex communi  
DD. P. Elig. *V. Votum.* 7. Lezan. 10. 1. c. 19.  
*præsertim* 10. 4. *V. Votum.* Hinc etiam Lessi-  
us *de iure & iustit.* c. 40. dub. 18. n. 133. negat  
hanc facultatem dispensandi & commu-  
tandi in votis, extendi ad obligationem  
quam

quam testator imponit hæredi, v. g. vt mit-  
tat hominem ad B. V. Lauretanam, aut  
quam hæres ex voto reali ipsius defuncti  
contrahit. Nam hæc obligatio non est im-  
mediatè ex voto, sed quasi ex contractu,  
hoc ipso enim quo adit quis hæreditatem,  
suscipit omnia onera quæ defunctus impo-  
nit, vel quæ ipse, si realia erant, iam con-  
traxerat, hæc enim ad hæredem transeunt.  
Sed de his abundè dictum *V. Iuramentum.*

485. *Lezana cit. V. Vorum et si n. 20.*  
concedat Episcopis facultatem dispensandi  
etiam in votis absolutè reseruat, in casu  
quo vrgeret necessitas dispensationis, nec  
præ paupertate, aut alia causa adiri posset  
Pontifex, vel ipsius Legatus, vt in voto  
Religionis & Castitatis quando imminet  
magnum incontinentiæ periculum, aut  
magni scandali vel damni tertiæ perso-  
næ, &c. (de hoc videto singulariter Dian.  
*p. 6. rr. 6. Res. 50. & Less. l. 2. de. just. c. 40.*  
*dub. 18. n. 129.* vbi ex Sanch. ponit exem-  
plum in iuvene voto Religionis adstricto,  
qui virginem deflorauit & grauidam fecit,  
quæ nisi ab eo ducta fuerit, infamabitur &  
periculum est in mora, ne vel à suis consan-  
guineis impediatur, vel voluntas eius im-  
mutetur) *n. tamen 21.* eandem concedi  
Confessariis aliis omnindè negat, cum illa  
Zz Aaa Bbb solùm

CCCC-  
LXXXV.

*In Casu  
necessita-  
tis.*

solum per accidens ad Episcopum spectet,  
 videlicet ob urgentem necessitatem & mo-  
 ralem impotentiam adeundi Papam, vel  
 Legatum, & solum quatenus illud pericu-  
 lum postulat, & illo durante. Atque ita  
 communiter tenent etiam alij secuti Sanch.  
*l. 4. Mor. c. 43. n. 7.* sed contra hunc arguit  
 N. P. Cyprian. *in c. 7. Reg. Lect. 29.* cum  
 ipse Sanch. doceat *c. 40. n. 25.* seclusâ refer-  
 uatione integrum esse Episcopis dispensare  
 in suis Diœcesibus in omnibus votis sicuti  
 Pontifici in toto orbe; videtur potius per  
 accidens esse quod tam amplâ potestate  
 non amplius gaudeant, quàm quod hæc  
 tantilla ipsis adhuc conueniat. Dato ergo  
 casu præfato, Episcopos dispensare posse  
 non tam priuilegio, quàm iure ordinatio,  
 per quod ipsis manet dicta potestas, quam-  
 diu non fuerit ijs legitimè sublata circa si-  
 milis casus. Non video, inquit P. Cypr.  
*quare Ordines Mendicantes per sua priuilegia  
 volentes dispensare in votis, sicut Diœcesanus, in  
 hoc vel simili Casu id non possint.* Aduersus P.  
 Cypr. denuò insurgit Dian. *p. 6. rr. 6. Res.  
 50. Et p. 9. rr. 6. Res. 66. Item rr. 8. Res. 61.*  
 veritus Doctorum consensum; quotamen  
 non obstante P. Cypriani opinionem mihi  
 non improbabilem reddunt sequentia.  
 1. Quod acuratissima Romana censura  
 operis

operis illius, multis alijs correctis, hanc tamen doctrinam reliquerit intactam. 2. Quod ipso etiam Dianâ fatente p. 8. rr. 10. Res. 36. satis recepta sit sententia apud Recentiores, Episcopum posse in propria Diœcesi, quicquid Pontifex in vniuersali Ecclesia, vbi aliquid non sit à Pontifice reseruatum, pro quò Henriq. l. 5. de Pœnit. c. 14. n. 7. litt. K. & lib. 10. c. 35. n. 2. Et lib. 12. c. 3. n. 2. litt. N. Et post illum Sanch. de Matr. t. 1. l. 1. disp. 61. n. 3. plurimos referunt. Videtur aded præsentem casum per se Episcopalem esse potius, atque in pristinum suum statum reuerti, iuxta commune proloquium, quòd *Lex & res faciliè redeat ad suam antiquam legem*, quod probat Nau. in *Constit. de Pœnit. & Rem. Conf.* 19. n. 4. quem refert & sequitur Portel. *Resp. Moral.* p. 2. c. 29. n. 29. 3. Non minus per accidens est, quòd casus Papales ratione occulti fiant Episcopales, quàm ratione impedimenti vel aliarum difficultatum. Si ergo per ipsum Dian. p. 3. rr. Res. 13. & p. 8. rr. 7. Res. 71. ad hoc etiam extenditur potestas Regularium, cur non & in casu præsentè maxime cùm Pontifex absque distinctione loquatur, quòd Regulares possint in votis dispensare, sicut *Diœcesanus*, & potestas dispensandi, vtpotè, gratia & beneficium

Zz Aaa Bbb 2 Prin-



Principis, sit amplè interpretanda, vt probat idem Dian. *cit. Res. 42. ex Reg. Iur.* Favores conuenit ampliari. Et 16. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, præsertim quando non cedit in damnum tertij. Bassæ. *ro. 1. f. 751.* Confirmatur idem ex responso ipsius Sanchez ad instantiam sequentis quæstionis ac resolutionis, quam ex eo, *l. 8. de Matr. disp. 9. n. 20.* Pax Jordan. *Elucubr. diuers. vol. 2. l. 9. tit. 1. de Dispensat. circa votum Castitatis, &c. n. 295.* refert ac sequitur, videlicet, Episcopum posse dispensare & commutare in pœnitentijs & obligationibus impositis à Papa in dispensatione votorum v. g. confitendi singulis mensibus, ieiunandi, & similibus. Cuius contrarium cùm multi & magni nominis authores assererent eo nixi fundamento; quia pœnitentia hæc, tanquã subrogata in locũ voti subrogati, debeat censeri eiusdem qualitatis cum ipso voto, in cuius locũ fuit subrogata. Respondit ipse Pax cum Sanch. hoc procedere solum in re favorabili. 2. Subrogatum sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur, quoad primæuam naturam, non autem quoad accidentalem, qualis, inquit, est reseruatio, eò quod vota omnia censeantur de sui natura primo supposita Ordinario quoad dispensationem, cui per accidens

*accidens Apostolica Reseruatione superuenit, proinde extendi non debere ad subrogatam Pœnitentiam. Quid ni ergo & in casu nostro Idem valeat? Denique cum vnus etiam Doctoris docti & pij sententia, Dianæ p. 4. rr. 4. Ref. 30. & alijs Recentioribus sufficiat ad constituendam opinionem probabilem, & in Praxi tutam; Præter P. Cypr. idem tenent P. Leander à Murcia in Regul. S. P. N. Franc. c. 7. q. 8. §. 2. n. 56. & Pasqual. 99. Canon. Centur. 2. q. 1. ab ipso Dian. ll. cc. relati, & vt apparet ex frequente eorum allegatione non parum probati. Quibus adde P. Bass. vbi supra. & P. Chassain. de Priu. Reg. rr. 5. c. 5. Prop. 2. cū alijs ab eodem allegatis, Vetusioribus præsertim, qui ante Sanch. more Pontificū loquentes nihil huius distinctionis meminerunt. Vide insuper Caram. in Theol. fund. fund. 13. n. 365. & 367. & Aluifer. de Priuileg. Reg. f. 3. c. 5. §. 2. n. 11.*

Qui de tota hac materia plurā velit, consulat Portel. & P. Bassæ in vtrogz Tomo V. Votum præsertim verò Sanch. l. 4. Moral. non minus exactè quàm fusè tractantem, quem recentiores vt plurimum sequi solent.

Porrò Priuilegia hæc dispensandi vel commutandi, restringenda nō sunt ad subditos tantum illius Diœcesis, in qua Confessor est approbatus, sed omnino extendi

Zz Aaa Bbb & debent

debent ad quoscunque accedentes vnde-  
cunque, quemadmodum dixi *V. Absolutio*  
*quoad Secul.* Item non solum in actu Con-  
fessionis, sed & extrà Sacramentum Pœni-  
tentiz possunt dicti Confessores hanc di-  
spensationis gratiam applicare petentibus.  
vt ex Soar. aduertit P. Urban. ab Ascens.  
17. 2. p. 2. dist. 1. c. 4. Reg. 3.

---

INDEX RERVM.

Absolutio Generaliter.

**A**bsolutio in Articulo mortis pag. 1. *Quan-*  
*do sit articulus mortis pag. 1. Quis in eo*  
*possit absolvere. 4. à quibus possit absolvere. 5.*  
*Si Confiteri nequeat an sit absolueudus 6. Arti-*  
*culo mortis equiparatur impedimentum Cano-*  
*nicum 8. Quod tamen limitatur. 9. Canonica*  
*& iusta impedimenta adeundi Superiorem prop-*  
*ter casus reseruatos 11. Circumstantie tunc ob-*  
*seruanda, prima, vt sit causa iusta absolueudi 12.*  
*Secunda vt fiat cum onere se presentandi 13. Ter-*  
*tia vt lesa partis sit satisfactum 14. An absolue-*  
*ndus qui prestat cautionem si lesa pars reclamet*  
*17. An absolutus non implens iuramentum in ex-*  
*communicationem reincident 17.*

Absolutio specialiter quoad fratres.

Prelati Regulares possunt per sua privile-  
gia suos subditos absolvere ab omnibus censuris  
21. à Casibus Papalibus occultis 21. ab iisdem  
publicis